



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Sol.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

fervavit, req; probavit, ut Christianum demum Pontificem mortales intueri se profiterentur. Sed enim cum nobis de tanti Principis laudibus loqui non liceat, qui ejus auspiciis annos aliquot in hominum luce verfati sumus, negotium aliis relinquemus, eam fuisse nostri Principis clementiam proficilli, ut vel hostes ad eam æternis literarum monumentis celebrandum impulsura sit.

## JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XLIV.

DE IIS, QUÆ PER SOLEM, LUNAM, ET STELLAS  
SIGNIFICANTUR

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD JOAN. BAPTISTAM MONTANUM.

**S**cribis, Clarissime vir, vidisse te lemmata quadam meam in breve admodum compendium redacta, de Hieroglyphicis, quæ per Stellas apud Ægyptios sacerdotes, in doctrinarum suarum arcanis habentur: quod ut ad se mitterem Reverendissimus Cardinalis utriusque nostrum alumnus Hippolytus Medices, tantopere flagitavit. Adde insuper, cognovisse te rei istiusmodi argumentum non in ea tantum scheda contineri, sed à me longe copiosius conscriptum. Rogas itaque, ut rei totius Commentarium ad te mitterem. Nam quicquid erat ad figurarum tantummodo formam spectabat, quibus pictor uteretur in Julio illo sidere adornando, cujus celebritatem Hippolytus ipse tanto studio foret. Nimirum video te Montane eruditissime, Leonem ex unguibus æstimare voluisse: at in re me non Leo, sed Musculus continetur, qui se olim apud Mythologos pro Leone ausus est vendicare. Quantulumcumque tamen id sit, quod ego præstare potuerim, officii mei fuit, omni posthabita cunctatione, obsequi viro, tam à primis studiorum nostrorum annis amico, tum etatis totius demum cursu mihi semper admirando tam in Philosophia, quam artis Medicæ peritia, quam etiam in cultioris eruditionis elegantia, seu Græcæ, seu Latinæ quis poseat, politissimo. Accipies igitur Stellarum hieroglyphicæ, prout à me fuerunt interpretata. Sed nosti Stellæ sine Luna desolatæ quodammodo videri. Nam quo ille rerum quæq; suarum semina conspergant, nisi in Lunari orbis partissimum, ut ita dicam, horreum condantur, quæ postmodum illa quasi sequestri terris demum indulgeat, aut potius uberrime largiatur? Sed neque Luna neque Stella sine Sole sui compotes esse possunt: quare Sol quoque his adnumerandus, imo anteponendus. Ridebis, scis, non erubescere me, quod ausus sim de Sole, de Stellis apud talem tantumq; virum totius Encyclopædiæ decus et ornamentum verba facere: sed id me consolatur, quod tu, ut hæc ad te darem, iusseris: quare si quid hæc attulerint tædii vel molestiæ, uni tibi qui crabrones irrimis imputato. Utcumq; si leges hæc, quæ sunt per nos in unum veluti corpus hinc inde collecta, opto non ea tantum quæ me longe accuratius legitis, in memoriam tibi reducant, verum etiam te Pierii tibi deditissimi memorem assidue faciant.

### DE SOLE. CAP. I.

**C**œlestium corporum, quæ die nocteque micant, significationes dicendi, rationi consentaneum esse duximus à Sole ipso dictionem auspicari: quando nisi Sol esset, neque Luna, neque Stellæ ullæ conspicuæ essent, ut doctrina est Astronomorum, & res ipsa indicat. Cum itaque Sol reliqua huiusmodi corpora lumine illustret suo, nostrisque videnda oculis offerat, ab eo, utpote lucis arbitro, initium merito faciemus.

Macrobius l. 1.  
c. 2. in Somn.  
Scip.

DEUS